

aures, manusque; Hinc militaris disciplinae rigor iterum restitutus, & propulsata priorum temporum licentia, qua graves regioni milites, sibi ipsis graviores ex mutuo timore inopiâ rerum affligebantur, negatisque stipendiis ferociebant. Modesta nunc militum itinera, stationes modestae, nullus civibus timor, quies rusticis, par omnibus amor; quique linguarum varietate, ac dispari institutione vitae separabantur, charitate atque officio mutuo sub uno tecto coalescunt; cumque iis sine cunctatione stipendia persolvantur, tantum adhuc Aërario superest, ut decem centena millia librarum ex diariis tributis, procurante Te, CÆSARIS beneficentiâ sint remissa, & ulterius remittenda speremus, Quid verò dicam de eximia illa tua liberalitate, qua novis artibus instituendis, vel obsoletis iterum repetendis ingens auri pondus de tuo facile donas? Quid de comitate illa singulari & exultanti animi gaudio, si quem industriâ suâ talia tentantem cognoveris? Mirum equidem quantum animi, quantum opis auctoritate conferas, & præsidio! Quippe jam tibi persuasum saluberrimum illud huic regioni consilium: frustra virescere felices Insubrium agros, atque horrea segete multa impleri, nisi frequentiam commerciorum, & artium usu æstimentur. Quamobrem sublatis magna ex parte vedigalibus Annonam non solum nobis restituiisti, sed apertis commerciorum viis ad remotas etiam nationes ex perituris olim nequicquam in horreis messibus abundantia nostra in posterum redundabit.

At